

## T E R R I T . S E N E N S E .

*tifex deligitur, & Pius II nominatur. PIVS II, Pontifex Max. à Ludovico Mantuanorum principe classe in naumachia speciem exceptus, vi Kal. Ianii Mantuam ad indictum de expeditione in Turcas conventum ingreditur. PIVS II, Pontif. Max. Catharinam Senensem ob innumera ejus miracula inter divas retulit. PIVS II, cum Ancona expeditionem in Turcas acceleraret, ex febre interit, cuius animam Eremita Camaldensis in caelum efferti vidit. Corpus vero patrum decreto in urbem deportatum est. De reliquis publicis operibus audiamus Poëtam Vbertum:*

*Io vidi il Campo suo, ch'e molto bello,  
E vidi Fonte Branda, è Camelia,  
El Hospedal, del qual' ancor novello.  
Vidi la Chiesa di santa Maria,  
Son intagli di marmo ; è cio veduto  
In verso Arezzo fu la nostra via.*

*Forum.*

*Forum, quod Campi nomine celebrat Poëta, amplum & multorum est laterum; adeo ut propter angulorum inæqualitatem forma ejus certa dici nequeat; in medio profundum, eretum è lateribus, ut pensile videatur: cui dignitatis non parum addit Fons Brandus, ex marmore. Cives cum suavissimis, tum elegantissimis sunt moribus, maximaque humanitate erga exteris etiam, prædiri: Quæstui dediti & civilis vitæ muneribus. Speciosissimæ sunt mulieres; inter quas semper alias est invenire, quæ formæ venustate cunctas Italici generis feminas superant: Lætæ porro placidæque; &, salva pudicitia, benignæ, facundæ, quibusque multis inest lepos; psallere etiam, orare Latinæ, carmen facere non indocta. Idioma Senenfibus præ ceteris Tusciae Populis elegans, & auditu gratum. Christianæ Fidei fundamenta primus hic posuisse scribitur D. Ausanus, Tranquilli Romani F. quem ad Arbianam amnem Kalendis Decembribus securi percussisse fertur*

*Lingua.*

*Lysias Proprator. Episcopatus dignitatem quando consequuta sit Sena, non constat: hoc certum, Episcopum Senensem Eusebium recenseri inter XLVI plus minus Episcopos, qui Romanæ Synodo primæ interfuerunt, sub Hilario Romano Præfule, i. anno CCCCLXV. Maurus etiam Senatis Ecclesiæ Episcopus legitur inter CXXV Episcopos, qui subscripterunt secundo Concilio Lateranensi, quod celebratum sub Martino I, anno 10 CLII. Sic item Vitalianus Episcopus Ecclesiæ Senensis inter multos alios numeratur, qui subscripterunt Epistolæ Agathonis, Romani Pontificis; quam Legati ab eo ad Sextam Oecumenicam Synodus Constantinopolitanam celebrandam missi anno 10 CLXXXIII secum attulerunt. Ecclesiam Senensem ex Episcopali in Archiepiscopalem evexit dignitatem*

*Hodie Archiepiscopatus.*

*Pius II P. M. anno 10 CCCCLIX, ipse Senensis; subjectis illi Suanensi, Crassatenensi & Massanensi Episcopis. Concilium hic fuit Generale sub Nicolao II P. M. cxxx Episcoporum. Est in hac Vrbe Societatis Iesu Collegium, quod*

*Francisci Mendozæ Cardinalis opera inchoatum, anno 10 LV. Est ibidem Academia, quam Cardinalis Zabarella Iurisconsultus varias principio vexationes pertulisse, ut orta rursus interiret; tamen aliquando tandem constitisse scribit Clement. Dudum. de Sepulcr. Testatur ibidem Petrus Anchoranus se, anno 10 CCCLXXXVIII ab Senatu Senensi evocatum, per triennium hic Decretales docuisse. Floruerunt ibidem & Nicolaus V, P. M. Abbas Panormitanus, Paulus Castrensis, Bartholomeus Socinus, Philippus Decius, Dinus Muggellanus, Hugo Senensis, Augustinus Dathus, Franciscus Philephus. Scribit Caccialupus Senis in Collegio Sapientiae, quod ab Andrea Galerano cive Senensi initium sumvit, studiosos ob disputationes & privata exercitia multum proficere. Aucta est mirum in modum à Pio II, P. M. Templo juncta est Bibliotheca, ab eodem Pio Pontifice instituta; ubi libri nondum expositi, neque magni fortean precii. Hospitalis est è regione Templici, in quod omnes omnium Nationum infirmi & peregrini recipiuntur. Opus memoria dignum cœptum dicitur ab Sutore, auctumque lapsu temporis variorum Collatione & Liberalitate, ut ipsius reditus ad octingenta Ducatorum milia exsurgere, sit fama. Viros illustres habuit multos, inque eorum numero D. Bernardinum, Minorum Instituti Reformatorem, Divis adscriptum ab Nicolao V. Pontifices Romanos dedit Sena Alexandrum III, duosque Pios; II qui Aeneas Silvius, & III, ex Familia Piccolominea. Cardinales Sena habuit Alphonsum & Raphaelem ex Petrucci, Ioannem ex Piccolomineis, Pii III P. M. Nepotem. Archiepiscopos Episcoposque hinc oriundos recensere nimis esset longum. Inter viros eruditione claros fuerunt Vgo, summus Philosophus & Medicus; Thomas Domus, qui vulgo Veritatis Doctor: item Fridericus Petrucius, Marianus Socinus, ejusque F. Bartholomeus, Bulgarinus, Marianus, Socinus Iunior, omnes Iurisconsulti: quibus addendus Augustinus Dathus, Philologus. Res à Senenibus gestas victoriasque, quas ex hostibus sunt adepti, plurimas celebrant alii. Libera sive Iuris avorum memoria fuit, oppressa tyrannide Pandulphi Petruci; quo defuncto, filiusque ejus cum magna nobilitatis parte expulsis, libertatem recuperavit, accepto Cæsareo Præfecto. Legendus omnino Aeneas Silvius. Agrum habet medium inter sterilem & feracem, amoenum, frumento cæterisque frugibus uberem. Qua in mare vergit, Maremma vulgo, copiam frumenti præstat maximam; quamquam Colonis infrequentior, præcipue æstate & autumno propter cœli vitium. De Sena vere canit Iulius Scaliger:*

*Quum premere invictis vicinas viribus urbes  
Martius Imperii sollicitaret amor;  
Abstinui, & justam colui sub pace quietem,  
Summaque judicii, maxima nolle, fuit.*

*Quotnam*

*Iesuitarum  
Collegium.  
Academie.*

*Bibliotheca  
ca.*

*Hospitalis.*

*Viricali.*

*Res gestæ  
Principes.*

*Ager sub-  
urbicarius.*